



Symma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qua Distincte Et Succincte Explicantur,
quae ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Quæ In Libro Quinto, Et
Sexto Decretalium Continentur

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regula LXVI. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quod minus conditio
impleatur. haberi debet perinde, ac si implecta fuisset.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

REGVLA LXVI.

*Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quod minus conditio impleatur,
haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*

I. Vnde sumpta est, inter civiles
numero 121. continetur his
verbis. *Iure civili receptum est, quoties per
eum, cuius interest, conditionem impleri, non
stat, quod minus impleatur, perinde haberi, ac
impleta fuisset.* Locum habere in ulti-
mis voluntatibus, in contractibus, &
dispositione statuti. Decius asseverat,
sed latius patere Glossa exempla ostendit.
Nam ex G. n. c. 22. inducit Abrahæ
factum, qui ne occideret filium suum,
ut mandarat Dominus, ab Angelo im-
peditus est. Ac proinde meritum ipsius
perfectum fuit, & collatum præmium
non secus, ac si re ipsa Isaacum immo-
lasset. *Si qualibet, 22. q. 2. Car am. in Theol.
fundam. n. 694.* 2. Sitias in testamen-
to libertatem legavit Sticho servo, si
decem sestertia penderet hæredi. Hæ-
res oblatam pecuniam noluit accepta-
re: censetur expleta conditio à Sticho,
quia quod minus fieret, per eum non ste-
tit. *l. ult. C. de cond. inser.* 3. Non dispar
illud Baldi exemplum est. Quidam fra-
tribus S. Dominicæ pro sepultura legavit
100. aureos, sed in excommunicatione
decedens sepulturâ privatur, nihilomi-
nus legatum debetur monasterio, quia
conditio habetur impleta, cum non
stet per fratres illos, quod minus imple-
tuerit. *Ever. in loco à primo ad ultimum.*

4. Index decrevit citationem contra
absentem, militique executorem, ut ipse
reus veniret ad audiendam sententiam:
Ac reus per familiares suos impedivit

executorem, ne posset citare, nunquid
habetur pro citato? Omnidò, quia per
eum stetit, quod minus audiret volun-
tatem iudicis. *c. Quoniam frequenter. §.
Porrò. Ut lice non contessit.*

NOTA hic, hujus Regula, & superius
explicatae quadragesimæ primæ diffe-
rentiam. Aliud enim est non imputari
ad culpam, & haberi conditionem pro
impleta. Hoc in præsenti Regula, illud
in altera dicitur Nec raro contingit, ut
culpa quidem vacet omissione nostra,
nullum tamen inde fructum reportem-
mus, ut videre licet in conditionibus
ad valorem, & usum sacramentorum
necessariis, quæ in nostra potestate non
sunt. Non enim de casuali, sed potesta-
tivâ tantum conditione Reg. loquitur.

II. Amplia 1. Ut valeat etiam in
iis, quæ animæ salutem concernunt, ut
exemplum Abrahæ allatum indicat, &
SS. PP. cum DD. Theologis unanimiter
approbat. *S. Aug. in Psal. 134.* Quia De-
us cor querit, cor inspicit intus, testis
est, judex est, approbator, adjutor, co-
ronator sufficit, ut offeras voluntatem.
Item in Psal. 57. Quicquid vis, & non
potes, factum Deus computat. *S. Bern.*
epist. 77. Quid planius, quam quod vo-
luntas pro facto reputetur, ubi factum
excusat necessitas. Eadem invenies a-
pud scholasticos in 1. 2. q. 20. art. 4. *V. alen*
II. Disp. 2. q. 15. Puncto 4. Vasqu. in 12. Disp
76. c. 2. Aleror I. l. 2. 6. 6. q. 5. Suarez l. 12. 4.
Grat. 6. 6.

Am

Amplia 2. Ut sufficiat non solum ad exceptionem, sed etiam ad actionem parviendam. Ex vendito enim agi potest, quasi impleta esset conditio, si non stetit per eum, sed per emptorem, quo minus adimpleretur. *l. Labeo. ff. de contrah. empt.*

Amplia 3. Ut locum habeat etiam, quando de summi Pontificis aut Principis auctoritate vel prae judicio ageretur. *Exemplum cape. In universitate N. pro beneficio vacante nominatus est Codrus, petiitque intra sex menses, uti oportet, conferri sibi beneficium, Collator moram facit, & tardiis iusto confert. Vnde sequitur, non stare per Codrum, quod minus tempestivè consequatur illud: idcirco collatio debet haberi pro facta à die requisitionis, quicquid in contrarium minus benigni collatores moliantur.*

Amplia 4. Sive agatur de jure acquirendo, sive de eo amittendo. Nam si obliquata sit datio pro demoliendo opere, & non steterit per offerentem, sed nunciantem, quod minus praestetur, habebitur nunciatio pro remissa. *Iason. ad l. prator ff. de novi operis nunciat.*

III. Obj. 1. Lex quia naturam imitari solet, super impossibili non fit. *l. Qui ad certum ff. locati. quomodo igitur id, quod factum non est, factum*

esse singit, cum in nullius hominis ptestate sit efficere, ut factum sit, quod revera factum non est.

R. Si hujus objectionis tanta vis est, quantum *Alciatus* invenit, Peckio teste, magnam fictionum partem eliminat, ut cuilibet accuratius examinanti patet: quod malum ut evitemus, dicendum est, non fingere quicquam impossibile, sed statuere, ut, quod non factum est, sed fieti potuit, pro facto acceptetur, quando nullius culpæ scribi potest omissione.

Obj. 2. Testator Caius mille aureos legavit Bertæ, si Cornelio Strabo nuberet. Ante contractum matrimonium Strabus moritur, & conditio non impletur absque culpa Bertæ, cui nihilominus legatum negatur. *l. Legatum. ff. de condit. l. Si sub diversis ff. de condit. & demonstr.*

R. Mors non prævisa, sed invia & minimè optata fortunæ casus est, non subjectus arbitrio nostro. Ideo legatum non datur Bertæ, quamvis per eam non stet, quod minus impletatur conditio, tum quia casualis est, tum quia mens testatoris fuit, ut tunc tantum potiretur legato, quando nupsisset, undecunque effectus impeditur. *V. Barbo. in Axiom. 48. Fillius. Tract. 33. n. 163.*

REGULA LXVII.

Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licet.

I. Hic Regulae duplēm sensum tribuit Peckius. Prior est, quod alicui sub nomine suo proprio facere non licet, neque sub alieno nomine.